



# Disputatio pneumatica extraordinaria de daemonibus

<https://hdl.handle.net/1874/340902>

DISPUTATIO PNEUMATICA  
EXTRAORDINARIA

DE

DÆMONIBUS,

2 VÆ

Fautore Tri-uno Deo

SUB ALIS

LEXIMII PRÆSIDIS

D. M. PAULI VOET, I.V.D.

& in Almâ Rheno-Trajectensium Philosophiæ  
Professoris Ordinarij.

*Publicæ discessioni offertur*

A PETRO AB EYNDHOVEN Rheno-Trajectensi

*Ad diem 27. Junij, horis locoque solitis.*



Naturâ & Industriâ.

TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ IOHANNIS à NOORTDYCK,

ANNO M. DC. XLVI.

82  
*Rarissima eruditionis, & summa pietatis virum*

D. GISBERTUM VOETIUM, S. S. Theologiae  
Doctorem, & in inclyta Rheno Trajectensium Academia  
Professorem dignissimum, ejusdemque Urbis Pastorem inde-  
fessum, veritatis Antistitem reverendum.

NEC NON

*Spectatissimum, & eruditione perspicuum virum*

D. ANTONIUM ÆMILIUM, in Acad. Ultrajecti-  
na Professore historiarum & Politices celeberrimum.

UT ET

*Reverendum & Theologica simul & Philosophica eruditione  
Excellentem Virum.*

D. M. GUALTERUM de BRUYN, Ecclesiae Christi  
quae Ultrajecti colligitur Pastorem fidelissimum.

DENIQUE

*Doctissimum & humanissimum virum*

D. ABRAHAMUM BOCSTADIUM, Gymnasii  
Ultrajectini quondam Prorectorem, Theologicorum, Phi-  
lologicorum, Historicorumque studiorum, gnarum, gna-  
vumque cultorem, olim Praeceptorem nunquam non hono-  
randum.

*Hoc gratissimi animi signo remuneratur*

P. AB EYNDHOVEN.

*Auh. & Respond.*



DISPUTATIO PNEUMATICA  
EXTRAORDINARIA

DE

DÆMONIBVS,

QUESTIO I.

*An sint Dæmones?*

**D**æmones an sint, impiè multi negât. Quales cum asseclis suis sunt Athei, Saducei, David-Ioristæ, & similis fatinæ homines: horum enim alii Dæmonia planè negant ut erronea statuit Saduceorum opinio Actor. 23. vers. 8. Alii Diabolos transformant in corruptionem voluntatis humanæ, pravolque animi motus, & sic eos cum cogitatis confundunt: Tales sunt David-Ioristarum asseclæ. Nos, illorù rejectis erroribus partes sequimur affirmantes. Quas probè & verè hac in re sentire, sacræ scripturæ testimoniis, & omnium ætatum memoria uti & experimentis tam est comperitum, ut, hoc velle probare, nihil aliud esset, quam meridianæ luci facem accendere velle. Attamen, ut quibusdam, probationem forsitan exspectantibus satisficiamus, quædam sacræ scripturæ testimonia (omnia enim adferre molestû nimis) haud gravatè commemorabimus. Notissima illa historia Iobi, quem vehementissimè vexavit Diabolus cujus ædes evertit, & quicquid ejus erat perdidit. Iob. c. 1., & 2. &c., Deinde videat cui lubet Zachar. c. 3. v. 1. Math. c. 4. v. 1. Iud. Epist. v. 9. hisq; loca similia, in quibus si diaboli non fuissent, utique non fuisset facta mentio. Deinde Dæmones esse, multorum illorum (proh dolor) accerrima & tristissima Dæmonum vexatione laborantium status, &

docuit, & etiamnum docet. Denique si quid ad probandum valeat apud Atheos & Libertino-Scepticos, accedat consensus omnium cujuscunque sectæ sapientum, quorum licet quidam circa naturam & actiones Dæmonum erraverint, errentque, non tamen plane illorum essentiam negavere nec negant.

II.

*An Dæmones sint Corporei?*

Varia hic Variorum est opinio. Statuit Platonica cohors Dæmonas esse materiales, & comprehendit eos animalium numero, quibusdam corpora tenuiora ex aëre, aliis ex æthere attribuens. Huic ex parte assentit Porphyrius, qui non tantum Dæmones aërios habere corpusculos statuit, sed & nidoribus & sanguine hostiarum pinguescere. Thalmudici vero & Cabalistsæ corporeos eos affirmant, & rebus corporeis affici, cibis vesci, generare, mori instar hominum, Mahumedis hæc opinio homines ex umbra, diabolos ex flamma ignis conditos. Alii, theogoniis & genealogicis fabulis Ethnicorum, Iudæorum, hæreticorum & aliorum insistentes, Diabolis attribuere luxuriam & congressum cum feminis. Aliter alii: Nos, pro rancidis hæc agnoscentes rugis, scripturam Ducem sequimur, quæ non corporatos facit Dæmonas, sed spiritus: Veluti ex infinitis testimoniis liquido liquidius patet. Ita enim loquitur Diabolus in historia de Achabo: *Ego spiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus;* i Reg: cap. 22. vers. 22. Deinde Mathei cap. 12. vers. 43. nominatur spiritus impurus, & alibi. Quare cum sacræ literæ Dæmones appellent spiritus, idem nos statuimus, & nihil certe probabilitatis, multo minus veritatis, illa habet sententia quæ corporatos facit Dæmonas. Deinde cum Platonici & in numeri alii Dæmones corpora vel aëria, vel ignea habere statuunt, dicunt *αὐθάλα*, quia si corpora Dæmonum sint elementaria, quomodo erunt aeterna, cum elementa habeant calorem & frigus, qualitates tum activas tum passivas & modo inter se configant, modo intereant: hoc autem opinari de Dæmonibus est absurdum. Posthabitis ergo illorum erroribus, adhaeremus sacræ scripturæ



Scripturæ tanquam veritatis normæ ac regulæ infallibili.

III.

*An Dæmones assumant corpora quibus appareant?*

Rursum, cum sacra Pagina & multorum temporum memoria abundè testetur, Dæmones sæpè corporaliter apparuisse, videtur sine manifesta Veritatis suppressione negari non posse, Dæmones quandoque assumere corpora quibus appareant. Pater ex eo, quod assumerit diabolus corpus serpentis in Paradiso & in eo fuerit locutus, Genes. 3. v. 1. etiam apparuerit Christo, Math. cap. 4. vers. 3. 5. Et ut etiam Phophanos audiamus scriptores, referemus exemplum quod Martinus Del-Rio disquisit: Magic: lib. 2. quæst. 4. ubi de basi Magiæ agit pag. 108. citat ex Nicolai Remigii lib. 1. Dæmonolatr: cap. 9. de quodam Theodoro Mailotio, qui postquam ad germanum quendam Magum, quem audiverat Dæmonem ad quæcunque obsequia habere sibi paratissimum, confugisset, Dæmon sub formâ lepidæ & liberalis puellæ apparuit. Et ipse ego ex fide dignorum relatu habeo, hâc in urbe fuisse mulierem quandam, vexatione Diabolicâ acerrimè laborantem, cui Dæmon sub formâ ancillæ tum hoc tum illud subministrando apparuit. Quocirca in sententiâ affirmativâ subsistimus, eamque sententiam tueri parati sumus. Plura qui cupit de apparitionibus diabolicis, videat citato loco Del-Rion. De *Disquisit. Magic.*

IV.

*An Diaboli possint cognoscere futura?*

Resp. futura non semper eodem modo cognosci. Vel enim cognoscuntur futura in se ipsis tanquam præsentia, & sic solius Dei est cognoscere futura: non solum quæ ex necessitate proveniunt, sed etiam casualia & fortuita. Quia Deus omnia videt in sua æternitate & ambitu suo omnia temporû cõplectitur discrimina. Et ideo unus Dei intuitus fertur in omnia quæ aguntur per totum tempus tanquam in præsentia, & omnia videt ut in se ipsis præsentia. Vel etiam cognoscuntur futura in suis causis ut futura. Et sic, futura quæ ex necessitate ex suis causis prove-

niunt, per certam scientiam cognoscuntur; ut solem oriri cras, futuras ecclipses, & similia: atque hunc modum cognoscendi futura Dæmonibus adesse concedimus. Verum quis dicat, sunt & quædam, quæ proveniunt ex suis causis ut plurimum, an ea certò possint cognoscere Dæmones quæriti? Resp: ea à Dæmonibus non cognosci per certitudinem, sed tantum per conjecturam, velut medici præcognoscunt sanitatem infirmorum. Ulterius, an non saltem magis cognoscant quam nos? Resp: Dæmones tanto magis, quam nos cognoscere ita futura possunt, quanto magis rerum causas & universalius & perfectius cognoscunt; nõ aliter ac medici, qui acutius causas vident, melius de futuro statu ægritudinis & sanitatis quicquam prædicere queunt. Adhuc, an non possint cognoscere Dæmones merè casualia & fortuita? Resp: absolutè negando, quoniam solius hoc Dei est.

V.

*An Dæmones possint edere miraculum?*

Miraculorũ editionẽ Dæmones, & per illos Magi quidam sibi vindicarunt. Veluti inter alios Simon Samarita, qui & hoc gloriari ausus fuit, nihil non quod vellet, se posse facere, sibiq; obtemperare omnia. Nostrum erit diligentius hoc scrutari: Quocirca rectè explicanda est vox miraculi. Vocem ergo illam non accipimus ut prophani scriptores in latissima significatione pro quovis arduo, insolito, miro, mirabili, aut admirando, quod scilicet supra mentis humanæ captum, & facultatem admitantis sit vel apparet: sive illud sit immediate à Deo, sive ab angelo, aut diabolo, sive à natura per qualitates occultas, sive ab excellenti & rara prudẽtia aut arte humana, bona vel mala, non; sed sequimur Theologos qui strictius sumunt hanc vocem scilicet tantum pro insolito seu extraordinario effectu, producto præter & supra naturæ creatæ vires. V. g. cæco nato visum reddere, mortuos suscitare & his similia. Quoad primam significationem, Dæmones miracula posse edere concedimus. Quæ miracula non solent appellari miracula simpliciter & in se, sed cum addito, miracula; secundum quid, seu respectu nostri: qui ea admiramur,



miramur, quia causas nescimus, non admiraturi, si causas cognosceremus. Non enim nobis omnis virtus naturæ creatæ est nota, & ideo cum aliquid sit præter ordinem naturæ creatæ, notæ per virtutem creatam nobis ignotam, est miraculum quoad nos. V. g. inlolita morbi curatio, non est miraculum, simpliciter, & in sese, quia non est præter & supra naturæ creatæ vires: Vel enim est aliqua facultas & inclinatio naturalis, in balsamo naturali, & peculiari complexione istius hominis: vel in peculiari attemperatione & applicatione istius remedi, vel in utroque, quæ in aliis rarissimè inveniuntur. Quod cum sit, evincitur, hoc non esse miraculum. Quoad vero secundam significationem, Dæmones miracula facere non posse, tam clarum est, quam quod clarissimum: quia juxta illam significationem sumitur miraculum pro eo, quod sit præter & supra totius creatæ naturæ vires, atque hoc nulli, nisi soli Deo competere, ipsa demonstrat ratio miraculi. Relinquitur ergo Dæmones posse producere miracula, secundum quid seu respectu nostri, sed non simpliciter & in sese, id est talia quæ fiunt præter & supra naturæ creatæ vires.

## C O R O L L A R I A.

1. *Verbis & incantationibus nulla inest vis sanandi morbos.*
2. *Dæmones sunt ejusdem sexus.*
3. *Dæmonum cruciatus ex vexatione & victoria hominum diminui absurdum est.*
4. *In Dæmonibus recte statuitur esse dolor.*
5. *An Dæmon hominū oculis possit illudere variis præstigiis? quid ni.*
6. *Dæmones consulere minime licet.*

F I N I S.



PRÆSTANTISSIMO  
D. PETRO Ab EYNDHOVEN,

DE

DÆMONIBVS

*Disceptanti.*

**D**Vm chelyn clauso positam recessu  
In decus ruptis revoco cavernis,  
Et viros inter tibi clara surgit  
Gloria doctos.

*Phœbus Ascreas* comes in sorores  
Advolat, stultos inhibens conatus:  
Ecquis ad nostrum reticet Sophistam,  
Numina quærunt.

*Offert*

PETRVS van CAMPEN.